



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Machvmetis Saracenorum principis, eiusque Svccessorvm
Vitae, Doctrina, Ac Ipse Alcoran**

Bibliander, Theodor

[Basileae], März 1550

VD16 VD16 K 2586

Morbisani Turcarum principis ad Pium Papam responsio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97854](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97854)

MORBISANVS, Hebræi & Gælij, cum suis fratribus Cerabi Eiusbait imperatoris Organi collaterales pugiles in partibus Achere, magno sacerdoti Romanorum iuxta merita dilecto. Nuper auribus nostris intonuit, quod in partibus Italiae ad preces et postulationem populi Venetiarum, in basilicis uestris publice facitis diuulgari, quod quicumque sumpserit arma contra nos & nostros suorum in hoc seculo remissionem peccatorum, eisq; beatam uitam promittitis in futuro. Cuius rei ueritatem oculta fide decernimus, per aduentum quorūdam peditem Cruciferorum, qui nuper in Venetorum nauigio transfretauerunt. Propter quod admirari cogimur uehementer. Quia dato, quod à summo Tonante uobis esset data potestas absoluendi animas et ligandi, tamen adhuc maturius procedere deberetis, neque Christianos maximè Italicos, crucis caractere insignitos, inducere super nos: cum, secundum quod patres antè dixerunt nobis, populus noster Turcarum innocens fuerit mortis & iniuriæ Christi uestri: & cum terra & loca ubi sanctuaria uestra sunt, minimè possideantur per nos: imò populos Iudæorum exosos semper habuimus, & habemus, quia prout in historijs antiquis & chronicis nostris audiuius, ipsi proditorie et per inuidiam eundem Christum uestrum prophetam Ierolymis tradiderūt presidi Romanorum, quem in crucis patibulo mori fecerunt. Ac insuper admirari & dolere compellimur, quod surgunt Italici contra nos, cum latens amor nos incitet ad dilectionem ipsorū, eo quod ipsi & ipsorum magnalia & parentes à Troianorum sanguine processerunt, quorum autorem fuisse scimus ueraciter Antenorem & Aeneam de sanguine Priami procreatos, in cuius locū ducturi sumus imperium in partibus Europæ, secundum repromissiones à dijs nostris, quas patres nostri habuisse noscuntur. & Troiam magnam intendimus restaurare, & ultisci sanguinem Hectoris, ac Ilionis ruinam, nobis Græcorum imperium subiugando, & iniurijs deæ nostræ Palladis factis eisdem punire in transgressorum heredes. Insuperq; intendimus Cretam et alias marinas insulas, quas Venetorum populus antedictus extorsit à nobis, imperio repromisso totaliter uendicare, easq; nostræ subijcere iurisdictioni. Idcirco prudentiam uestram attentè requirimus & rogamus, quatenus epigrammatibus uestris per terras Italiae missis, ad instantiam supra dicti populi Venetorum silentium imponatis, non prouocantes contra nos amplius sub pietatis specie populum Christianū, cum erga uos & ipsum nullam ueritatem propter crudelitatis differentiam habeamus. Cum enim nihil nobis referat, si ipsum colitis Christum, quia et nos ipsum reputamus fuisse prophetā: neq; enim ex lege ipsius, prout audiuius, potestis aliquem ad crudelitatem compellere. Si autem lis aliqua uel discordia orta est inter nos & populum Venetorum: hoc accidit, quia ipsi indebite nullo iustitiæ muniti colore, sub Cæsaris nomine, uel alterius monarchæ, cui ex lege aliqua temporalia sint promissa, sed sua superbia ac temeritate, iam dudum quasdam marinas insulas & alia loca, quæ nostro (ut suprā diximus) sunt repromissa imperio, crudeli tyrannide subiugarunt. Quæ tolerare non possumus, cum futurum tempus nostræ repromissionis instat: propter quæ & alia potestis meritò ab inceptis desistere: & specialiter, cum audiuerimus ipsum populum Venetorum fore alienum à uita et moribus Romanorum, quia nec secum legibus uiuūt, nec moribus cōuertuntur, sed se solos aestimant cunctis circumstantibus populis meliores, quorum insaniam superbiamq; deorum nostrorū & summi Iouis auxilio ad extremum deducemus. Alioquin si uestra prudentia non desistat, ampliā curabimus uires nostras super eo diuini imperatoris Organi auxi-

lio, & aliorum orientaliū regum & principū, qui simulant se hodie dormire, quorum muniti praesidio, trahemus à finibus terræ armatorum acies copiosas, per quas non solū contra uestros pedites Cruciferos resistemus, uerū etiā si cōtra nos Romanam ac Germanicā & Gallicā militiā prouocetis, intendimus hostiliter obuiare: ac demum fauente Mercurio, per mare Ponticum & Dalmatiam cum innumerabili nostro nauigio Euri flatibus perducti, intendimus pertransire: & septentrionalem plagam, praesertim Croaciam & Dalmatiā, uisitare. Datū anno Mahumeti septingentesimo quadringentesimo quinto, in introitu mensis haslen.

ORDINATIO POLITIAE TVRCARVM

DOMI ET FORIS, EX ORATIONE HORTATORIA

ad bellum Turcis inferendum: quam uir in rebus magnis
diu cum gloria magna uersatus habuit ad
Maximilianum Cæsarem.



Othmanus rex.

*Turcarum la-
trocinia.*

Regū successio.

Machometh.

*Amorath, Ma-
chometi frater.*

Bayazith rex.

Turcarum gens ante pauca secula adeo obscura fuit, ut etiam ipsi nullas à se res gestas memoriae dignas ante Othmanum, qui primus hanc gentem illustrauit, narrare possint. Et licet de origine eius apud autores parū cōstet, eam tamen Scythicā esse, & mores & lingua haud dubiè demōstrāt. Plinius quoque grauissimus autor, in Asia circa Maotidem lacum, Turcas usque solitudines saxosis conual-
lib. asperas accolere prodidit. In primis itaque inopia rerū coacti, uicinas nationes latrocinij potius, quam legitimis praelijs infestarūt. Mox crescente audacia, duce Othmano uiro bellicosissimo & callidissimo, non solū ut prius rapinis & incursionibus, sed iā aperto Marte conterminos populos inuaserūt. Cuius successor Orhan, infeliciter cōtra Tartaros pugnans, cum multis populis gentis suae occubuit. Post quem Amorath factus imperator, ubi ita imperium auxit, ut usque ad Pontum longe lateque fines suos extenderet, debitum naturae persoluit. Succedit huic Bayazith, qui cum pari audacia finitimos populos inquietaret: captus tandem à magno Tamberlano, cū ingenti clade gentis suae finē audaciae suae fecit. Post quē quatuor imperatores successerunt. Qui quamuis de gente Othmana non fuissent celebres, tamē bella gesserunt. nam Celeby multorum populorum uictor, partem quoque imperij Trapezontis subiugauit. Soleyman, cui Tamberlanus tributum rependit. Orhan secundus, qui multas urbes Asiae & Ponti expugnauit. Musē autem, cum Orhanum dolo interemisset, magnam partem Asiae in suam ditionem redegit. Post Musē culmen imperij ad gentem Othmanam rediit. Machomet itaque ex eadem genteposito imperio, Saracenos, Gordianos, Persas, Cappadoces uarijs praelijs fudit nomenque Turcarum ita celebre fecit, ut iam gentes Europae illud reformidarent. Cuius frater Amorath, qui primus Turcarum in Europam cum exercitu traiecit, multis regnis Europae deuictis, memorabili illo praelio ad Varnam Vladislaum fortissimū regem Hungariae cum magna caede populi Christiani debellauit. Huius res gestas filius eius Mahometus in tantum superauit, ut ad solis ortum & occasum plures terras, maria, insulas, populos, regna, imperio Turcarum solus ipse adiecerit, quam omnes decem superiores. Cuius uictorias si quis uellet recensere, profecto maximam partem Asiae & Europae enumeraret.

Nec contentus filius eius Bayazith, qui hodie regnat, tantum imperium à maioribus suis partem cōseruare: sed plura castella & oppida in ditionem suam redegit, nec in dies cessat terminos imperij sui usquequaque dilatare. Croacia igne ferroque consumpta, et crebris incursionibus penè exhausta, nuper celeberrimum regnum Poloniae inuasit: & abducens LX millia Christianorum, cum inaudita crudelitate uastauit,